

Fratres:

¹ **E**st fides sperandórum substántia,
rerum arguméntum non apparéntium.

² In hac enim testimónium consecúti sunt senióres.

[3-7]

⁸ Fide vocátus Abraham obœdívit in locum exíre,
quem acceptúrus erat in hereditátem;
et exívit nésciens quo iret.

⁹ Fide peregrinátus est in terra promissionis
tamquam in aliéna,
in cásulis habitádo cum Isaac et Iacob,
coherédibus promissionis eiúsdem;

¹⁰ exspectábat enim fundaménta habéntem civitátem,
cuius ártifex et cónditor Deus.

¹¹ Fide

— et ipsa Sara stérilis —

virtútem in conceptiónem séminis accépit
étiam præter tempus ætátis,

quóniam fidélem crédidit esse, qui promíserat;

¹² propter quod et ab uno orti sunt,

et hoc emórtuo,

tamquam sídera cæli in multitúdine,

et sicut aréna, quæ est ad oram maris, innumerábilis.

¹³ Iuxta fidem defúnci sunt omnes isti,

non accéptis promissionibus,

sed a longe eas aspiciéntes et salutántes,

et confiténtes

quia peregríni et hóspites sunt supra terram;

- ¹⁴ qui enim hæc dicunt, significant se pátriam inquirere.
- ¹⁵ Et si quidem illíus meminissent, de qua exíerant, habébant útique tempus reverténdi;
- ¹⁶ nunc autem meliorem áppetunt, id est cæléstem. Ideo non confúnditur Deus vocári Deus eórum, parávit enim illis civitátem.
- ¹⁷ Fide óbtulit Abraham Isaac, cum tentarétur; et unigénitum offerébat ille, qui suscepérat promissiónes,
- ¹⁸ ad quem dictum erat:
«In Isaac vocábitur tibi semen»,
- ¹⁹ arbitrátus quia et a mórtuis suscitáre potens est Deus; unde eum et in parábola reportávit.

Verbum Dómini.